



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

4. Cœlestis Pater Familias &c. Jubilæum Universale. Ad implorandum
divinum auxilium initio sui Pontificatus pro salutari Sanctæ Ecclesiæ
Catholicæ regimine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Gaspar S. Georgij S. R. E. Diac. Card. de Cavaleris Romanus.
Franciscus Maria Sanctæ Mariæ in Dominica S. R. E. Diaconus Cardinalis Medices Florentinus.
Raynaldus Sanctæ Mariæ de Scala Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis Estensis Mutinensis.

IV. SANCTISSIMI D. N. D. ALEXANDRI
Divinâ Providentiâ Papæ VIII.

Jubilæum Univerfale. Ad implorandum Divinum auxilium initio fui Pontificatus pro falutari Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ regimine.

ALEXANDER PAPA VIII.

Univerfis Christi fidelibus præfentes Litteras inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exorditur à ſua humilitate & magnitudine Curæ Apoſtolicæ.

Cœleſtis Pater familias, cujus voluntas, potentia, & cujus opus miſericordia eſt, qui que olim diſpenſatione mirabili elegit David ſervum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ovium, ut paſceret Iſrael hereditatem ſuam, noviffimè diebus iſtis ſe neminem ſanè ſuorum ſpernere demonſtravit, cum immenſam in Nos bonitatem ſuam derivare dignatus, in humilitate Noſtrâ memor fuit Noſtri, ac inſcrutabili ſapientiæ ſuæ arcano conſtituens Nos in caput Gentium, vicariam ſui in terris poteſtatem ſolâ ſupernæ largitatis ſuæ dignatione, ac nullo meritorum ſuffragio Nobis commiſit. Idcirco, quia non verecundæ, ſed ingratae mentis indicium eſt beneficia tacere Divina, & fatiſ dignum eſt à Sacrificio Dominicæ laudis obſequium conſecrati Pontificis inchoare, hoc ipſo aſſumptæ à Nobis Apoſtolicæ Servitutis initio libenter cum Propheta clamamus: Laudationem Domini loquatur os meum, & benedicat omnis caro nomen ſanctum ejus; qui ſuſcitat de pulvere egenum, ut ſedeat cum Principibus, & iolum gloriæ teneat. Cæterum, non tam de honoribus hilares, quam ſolliciti de periculo, in tantâ, ac tam difficili, quam jam delibare incepimus, Catholicæ Eccleſiæ procuratore, dum non minus virium Noſtrarum infirmitatem, cujus Nobis probe conſcii ſumus, quam multiplices mentis Noſtræ oculis obverſantes Chriſtiæ Reipublicæ calamitates ſeriò conſideramus, ſentimus proſectò in dies ſuſcepti oneris magnitudinem, ac quantum ad illud fortiter, conſtanterque ferendum cœleſtibus indigeamus auxiliis, agnoſcimus.

Quamvis autem privatis Noſtris ſacrificiis, & precibus opem de Sancto ſupplices invocare non deſiſtamus, ut de Sion tueatur Nos, omnem ſpem Noſtram collocamus in eo, qui dedit velle, ut det etiam perficere pro bonâ voluntate; attamen memoriâ recolentes, tum maximè Apoſtolorum Principi, cujus locum immeriti tenemus, cœleſte præſidium adſuiſſe, cum oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſiâ ad Deum pro eo, Paſtorali jure ſidenter exigimus, & paterno inſuper poſtulamus affectu, ut ad aſſiduas Noſtras publicè Chriſti fidelium ubique Populorum, quibus Nos viſſim Apoſtolicam ſollicitudinem impendere debemus, ſupplicationes addantur.

Potens eſt enim oratio Eccleſiæ deprecantis ad Dominum, qui benignus & miſericors eſt, & propitiatur invocantibus eum in veritate. Junctis igitur, & concordibus precibus miſericordiarum Patrem, & Deum totius conſolationis exoremus, ut in mandatorum ſuorum viam unâ cum commiſſis ovibus gratiâ ſua duce Nos dirigat, præſentibus Chriſtiani Populi neceſſitatibus propitiis adſit, flagella ſuæ iracundiæ, quæ pro peccatis Noſtris meremur, clementer avertat, nec Nos quos Elige-

re dignatus eſt ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, deſerat in tempore malo, ſed det Nobis virtutem, & fortitudinem in magnitudine brachii ſui, ac illuminet corda Noſtra ad cognofcendum, faciendumque, quod bonum eſt in oculis ſuis.

Adeamus mente contriti ad thronum gratiæ, dolentes per veram poenitentiam veniam petamus, inſtemus obſecrationibus nocte ac die, ſanctificemus jejunia, eleemoſynas in ſinu pauperum abſcondamus, aliifque pietatis operibus divinam Nobis miſericordiam conciliemus, ac Domino corda Noſtra præparemus.

§. 1. Hæc autem ut ferventiori ſtudio uberiorique fructu fiant, antiquum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum morem ſecuti Eccleſiæ theſaurus, quorum diſpenſationem Nobis credidit Altiffimus, aperire, & liberali manu erogare decrevimus. Itaque de Omnipotentis Dei miſericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate conſiſi, ex illâ ligandi, atque ſolvendi poteſtate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus in Almâ Urbe Noſtrâ degentibus, qui ſolemni proceſſioni quam unâ feriis proximæ hebdomadæ, quæ erit ſecunda Adventus, ab Eccleſiâ Sanctæ Mariæ Anglorum in Thermis ad Baſilicam ejuſdem Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatam de eadem Urbe unâ cum Venerabilibus Fratribus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiſcopis & Epifcopis, quæ in Romanâ Curiâ adeſſe contigerit, ac Chriſtianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos exiſtentibus, Prælatiſ quoque, & Officialibus ejuſdem Curæ, univerſoque Clero, & Populo, benedicente Domino, agemus, devotè interſuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Eccleſias, ſeu Baſilicas, vel earum aliquam intrâ ſpatium ejuſdem, vel proximè ſubſequentis hebdomadæ ſaltem ſemel viſitaverint, ibique per aliquod temporis ſpatium devotè, ut ſuprà, Deum oraverint, ac quartâ, & ſextâ feriâ, ac Sabbato alterius ex præſatis hebdomadis jejunaverint, & peccata ſua conſeſſi, Sanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominicâ die immediatè ſequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter ſumpſerint, ac pauperibus aliquam eleemoſynam, prout unicuique ſuggeret devotio, erogaverint, cæteris verò extrâ Urbem prædictam ubicunque degentibus, qui Eccleſias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, ſeu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipſis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, poſtquam ad eorum notiâ hæ Noſtræ pervenerint, designandas, vel Eccleſiarum hujusmodi aliquam ſpatio duarum ſimiliter hebdomadarum, à publicatione designationis, vel per Ordinarios, vel eorum Vicarios, ſeu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurſurum, ſaltem ſemel viſitaverint, ibique, ut ſuprà, oraverint, ac quartâ & ſextâ feriâ, ac ſabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata ſua conſeſſi, ac in die Dominicâ immediatè ſequenti, vel alia die intrâ eandem hebdomadam Sanctiſſimâ Communione reſecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemoſynam ut præmittitur, erogaverint, pleniffimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, ſicut in anno Jubilæi viſitantibus certas Eccleſias intrâ, & extrâ Urbem prædictam concedi conſuevit, tenore præſentium concedimus, & elargimur.

§. 2. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primùm ad ſua ſeſe domicilia receperint, ſupraſcriptis peractis, & viſitatâ Eccleſiâ Cathedrali, vel majori aut Parochiali loci eorum domicili, eandem Indulgentiam conſeſſi poſſint, & valeant: Regularibus autem perſonis utriuſque ſexus, etiam in clauſtris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuſcunque tam Laicis, quam Eccleſiaſticis Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere,

Hortatur ad preces, jejunia & Eleemoſynas.

Indicet Jubilæum univerſale & præſcribit adimplenda in Urbe.

Facienda degentibus extra Urbem.

Pro navigantibus, Regularibus, capivis, infirmis & im-peditis.

Privatis ſuis precibus publicis Eccleſiæ ſupplicationes poſtulat adjungi.

Quibus exoranda Divina miſericordia.

aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocunque impedimento, detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Facultas eligendi Confessarios etiam pro Regularibus.

§. 3. Insuper omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Secularibus, & Regularibus, cujusvis Ordinis, & Congregationis, & Instituti, tam in Urbe præfatâ, quam extrâ eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcunque Presbyterum Confessarium, tam Seculare, quam cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quâvis causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliis per quascumque Nostros, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientie, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant, & insuper vota quæcumque (Religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutaris, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

De Commutatione Votorum.

Jubilæum ab Ordinariis ubique præcipit publicari.

§. 4. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælati, ac quibuscumque Ordinariis locorum, ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum præsentium Litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa, acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Declaratio in quibus dispensare non intendit.

§. 5. Non intendimus autem per præsentis super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientie, neque etiam easdem præsentis iis, qui à Nobis & Apostolicâ Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, seu aliâ in sententias, censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intrâ tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Derogatio contrariis.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessionem, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non Regulâ Nostri de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis

firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam de illis, eorumque totis tenoribus specialis, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quâvis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquilita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse, ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Ut autem præsentis Nostre, quæ ad singula Loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earundem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Decembris 1689. Pontificatus Nostri anno primo.

d. 11. Decembris 1689. P.A. primo.

SANCTISSIMI D. N. D. ALEXANDRI Divinâ Providentiâ P. P. VIII.

V.

Constitutio revocatoria exemptionum à vectigalibus, aliisque publicis oneribus.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanum decet Pontificem, tanquam fidelem servum, & prudentem, quem constituit Dominus super familiam suam, non modò spiritualium providentiam Catholicæ Ecclesiæ, quantum Divina bonitas largitur, jugi vigilantia exhibere, sed & temporalium circumspèctione, suorum, & Apostolicæ Sedis, etiam quoad temporalia, subditorum commodis indefinenter consulere, eaque de causa ad æquitatis, & justitiæ fines illa, quæ publicam inopiam prægravant, opportune provisionis ministerio revocare, ac desuper pastoralis Officii sui partes solliciti studii interponere, prout communis utilitatis rationi, ac Reipublicæ salutis consentanea esse in Domino arbitrat.

Subditorum commodum est motivum providendi.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, per quasdam immunitates, & exemptiones à vectigalium, aliorumque onerum publicorum solutione, & supportatione, quæ à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostri, & Sede præfata, illiusque forsan de Latere Legatis, ac aliis ejusdem Sedis, & Camera Nostre Apostolicæ Officialibus, & Ministris, ad importunas supplicantium preces, seu aliâs quomodolibet concessæ requiruntur, Camera prædicta, ac Communitates, & Universitates Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum temporalis S. R. E. ditionis in gravissimis, quibus propter tot sumptus antehac in causam publicam factos, multaque onera propterea imposta, premuntur angustiis, maximam redituum, & proventuum suorum diminutionem patiantur, & plurimi subditi Nostri, ac præcipue pauperiores, in quos ejus, quòd cæteris, sive ut plurimum locupletioribus, per immunitates, & exemptiones hujusmodi remittitur, onus derivari necesse est, ingenti damno afficiantur.

Aliquorum exemptiones & immunitates non exemptos prægravant.

§. 2. Hinc est, quòd Nos, quibus agri Domini cura divinitus commissa fuit, ut juxta Prophetam noxia evellamus, & utilia plantemus, quique statim, ac Salvatoris, & Domini Nostri vi-

Quare Prædecessorum exemplo exemptiones revocat.